



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 7. Requiritur-ne determinata quantitas?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

*De Sacram. Euchar. Cap. III. 139*

bus in celebratione Missarum occurrentibus :  
si quis habeat coram se undecim Hostias , &  
intendat consecrare solum decem , non deter-  
minans quas decem intendit , in his casibus  
non consecrat , quia requiritur intentio . Secus ,  
si putans quidem esse decem , tamen omnes vo-  
luit consecrare quas coram se habebat . Nam  
tunc omnes erunt consecrata : atque ideo quili-  
bet Sacerdos talem semper intentionem habere  
debet , scilicet consecrandi eas omnes quas  
ante se ad consecrandum positas habet .

*Quæst.* 6. Majoris lucis gratiâ , quid re-  
quiritur ad illam præsentiam quam necessa-  
riam diximus , in consecratione materiae ?

*Resp.* Hoc non potest , nec debet mathe-  
maticè determinari , sed sat est , ut usu , mo-  
re , & consuetudine hominum , atque pruden-  
tium judicio , materia in ea distantia sit , ut  
ejus fieri demonstratio rationabiliter possit .  
Unde absurdum est credere , posse Sacerdo-  
tem Hostias trans parietem collocatas , vel à  
tergo positas , quantumvis in speculo relucen-  
tes consecrare ; quia secundum moralem æsti-  
mationem ( cuius in administratione Sacra-  
mentorum humano modo peragendorum ratio  
magna habenda est ) materia sic posita præ-  
sens in ordine ad exercendam , demonstran-  
damque aliam operationem , minimè censemur :  
Hostia tamen sub aliis in acervo latitans , vel  
subtus corporali , vel in Pixide clausa conten-  
ta , vel vinum in Calice cooperito existens ,  
præsentia moraliter censemur ; quia quæ in-  
terjacent corpora , per modum continentis ,  
vel velaminis se habentia subjectarum rerum  
præsentiam minimè impediunt .

*Quæst.* 7. Requiritur ne ad materiam hu-  
jus Sacramenti determinata quantitas ?

*Resp.* Materia hujus Sacramenti non est de-

## 140 TRACTATUS IV.

terminatae quantitatis: unde Panis, & vinum possunt in quantalibet quantitate, validè tamen, si aliquando non licet, consecrari; licet enim quantitas materiae hujus Sacramenti per comparationem ad usum fidelium determinetur: quia cujusvis materiae determinatio ex fine propter quem assumitur petenda est: attamen non potest materiae quantitas per comparationem ad usum Fidelium tunc occurrentium de-

D. Tho. 3. p. terminari; *Alioquin*, inquit Divus Thomas, q. 74. art. 2. *Sacerdos paucos Parochianos habens, non in corp.* posset consecrare multas hostias, unde requiriatur; quod materia hujus Sacramenti determinetur per comparationem ad usum Fidelium absolutè. Numerus autem Fidelium est indeterminatus. Vnde non potest dici quod quantitas materiae hujus Sacramenti sit determinata.

Sacerdos igitur, qui quantitatem nimiam consecraret, id est, in longè majori copia quam Fidelium qui communiter occurunt, vel occurere possunt, aut solent, usus postulat, validè quidem Sacramentum perageret: at illicet & sacrilegè tamen, utpote qui venerabile Sacramentum certæ corruptioni specierum sine causa exponeret.

*Quæst.* 8. Potest-ne Sacerdos consecrare vinum non consecrando panem, vel panem non consecrando vinum, saltem imminentे aliqua extrema necessitate?

*Resp.* Validè quidem una species sine altera consecrari potest, nunquam tamen licet; validè inquam, quia statim ac verba consecrationis Panis prolata sunt, continuò sub speciebus illius existit Corpus Christi; verba enim cum producent quod significant, statim atque Corpus Christi expressis verbis significatur, sine mora adest: unde & confessim Hostia propo-